XXIX. S. Thomas autem hoc *art. 4. ad 4.* utramque opinionem complectens, ad argumentum reſpondet: quod *cum Chriſtus in principio Evangelicæ prædicationis dixerit, Matth. 3. Appropinquavit Regnum Cælorum, ſtultiſſimum eſt dicere, quod Evangelium Chriſti non ſit Evangelium Regni. Sed prædicatio Evangelii Chriſti poteſt intelligi dupliciter. Uno modo quantum ad divulgationem notitiæ Chriſti: & ſic prædicatum fuit Evangelium in univerſo Orbe etiam tempore Apoſtolorum, ut Chryſoſt. dicit Homil. 76. in Matth. Et ſecundum hoc, quod additur: Et tunc erit conſummatio, intelligitur hoc de deſtructione Jeruſalem, de qua tunc ad litteram loquebatur. Alio modo poteſt intelligi prædicatio Evangelii in univerſo Orbe cum pleno effectu; ita ſcilicet, quod in qualibet Gente fundetur Eccleſia: & ita ſicut dicit Auguſtinus Epiſt. 78. ad Heſychium* (modo 197.) *nondum eſt prædicatum Evangelium in univerſo Orbe, ſed hoc facto veniet conſummatio Mundi.*

QUÆSTIO VI.

De Lege Humana.

POſt examen legis naturalis, & divinæ poſtremum locum tenet lex humana, utpote ab illis derivata. Hæc autem duplex eſt; Civilis, & Canonica. De utraque plura dicunt Juriſtæ, & Canoniſtæ, & Theologi Morales. Nos cum Div. Thom. 1. 2. *art. qu. 95.* ea, quæ magis neceſſaria Studioſo judicabimus, breviter exponemus.

DUBIUM I.

An in Homine ſit poteſtas condendi Leges obligantes in Foro Conſcientiæ.

§. I.

Referuntur Errores.

I. CIrca tempora Nativitatis Chriſti quidam Judas Galilæus, de quo fit mentio in Actibus Apoſt. cap. 5. ver. 37. quod *averteret populum poſt ſe*, ſpargere cœpit; non eſſe parendum Principibus, nec eorum legibus obediendum, ſed ſoli Deo. De hoc ait S. Hieronymus in cap. 3. Epiſt. ad Titum: *Surrexit in diebus cenſuum* (quibus ſinguli tenebantur deſcribi, ac profiteri, ut habetur Lucæ 2.) *Judas Galilæus, qui inter cætera hoc quaſi probabile proferebat ex lege: nullum debere Dominum, niſi ſolum Deum vocari: & eos qui ad Templum decimas deferrent, Cæſari tributa non reddere. Quæ hæreſis in tantum creverat, ut etiam Phariſæorum, & multam partem populi conturbaret: ita ut ad Dominum quoque noſtrum referretur hæc quæſtio: Licet Cæſaribus tributum, an non?* Ita S. Hieronymus.

II. Lutherus fideles ab omni lege abſolutos declarat, ac ſola fide lege teneri pronunciat. Unde lib. de Libertate Chriſtiana. *Nullo* (inquit) *opere, nulla lege, homini Chriſtiano opus eſt; cum per fidem ſit liber ab omni lege.* Et in *Comment. Epiſt. ad Galat. cap. 5.* poſt multa concludit, nullam legem Chriſtianis ſive ab hominibus, ſive ab Angelis imponi poſſe, niſi quantum ipſi velint. A quo non longe abeſt Calvinus, ut videre eſt *lib. 4. Inſt. cap. 10. §. 5. &c. & §. 8.* ubi affirmat, *Deum eſſe unicum Legiſlatorem: non licere hominibus id honoris ſumere.*

III. Verum quia politia, qua Mundus, præcipue Chriſtianus, regitur, duplex eſt: una civilis, quam Principes, & Magiſtratus in ordine ad finem ſocietatis humanæ adminiſtrant: alia Eccleſiaſtica, qua Eccleſiæ Prælati gregem Chriſti ad debitum Dei cultum ordinant, & regunt: de utraque quoad leges condendas male loquuntur Waldenſes, & Anabaptiſtæ, quibus magna ex parte adhæſit Calvinus. Nam licet *lib. 4. Inſtit. cap. 20.* doceat contra Anabaptiſtas in Eccleſia debere eſſe leges Civiles; attamen *cap. 10. §. 5.* negat ejuſmodi leges obligare in conſcientia. Quod etiam ſenſiſſe viſus eſt Jo. Gerſon *de Vita ſpirituali lect. 4.* Pejus autem loquitur Calvinus de Prælatis Eccleſiæ: ab illis enim poteſtatem adimit ferendi leges coactivas, maxime in foro conſcientiæ obligantes; ut videre eſt *lib. 4. Inſt. cap. 10. a §. 1.* Unde infert, Pontificem & Epiſcopos, qui ſuis legibus onerant conſcientias ſubditorum, eſſe tyrannos, & carnifices conſcientiarum; & eorum leges eſſe impias, & libertati Chriſtianæ repugnantes. Contrarium ſentiunt, & ſenſerunt ſemper omnes Catholici.

§. II.

Reſolutiones Catholicæ.

IV. DIco primo. Prælati Eccleſiæ poteſtatem habent condendi leges pro bono Eccleſiæ: ſicut & Reges, ac Principes poteſtatem habent condendi leges Civiles, quibus ſubditi, etſi Chriſtiani, obedire tenentur. Ideoque Fideles per legem Evangelicam non eximuntur ab obligatione parendi legibus humanis, & ab obedientia erga Superiores tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares.

V. Probatur prior pars de Prælatis Eccleſiaſticis primo ex Scripturis. *Joan.* enim *21. ver. 17.* dicit Chriſtus Petro: *Paſce oves meas.* Lucæ 10. ver. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Matth. 18. ver. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Actor. 20. ver. 28. *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Hebr. 13. ver. 17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis:* ſi enim ſubditi ſunt, obedire tenentur.

Porro Prælatos Eccleſiæ habere poteſtatem non ſolum regendi, ſed legibus coercendi ſubditos, nedum patet ex textu allato, *Matth.* 8. ubi qui Eccleſiam non audierit, ex Chriſti mandato habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus: ſed ex Apoſtolo 1. *Cor.* 4. *ver.* 21. dicente: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in Spiritu manſuetudinis?* Et 2. Cor. 13. ver. 10. *Hæc abſens ſcribo, ut non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam Dominus mihi dedit.* Et hac poteſtate frequenter uſus eſt. Primo: quando excommunicavit Corinthium inceſtuoſum, 1. *Cor.* 5. Secundo: quando reprehendit Corinthios, quod judicio contenderent apud infideles, 1. *Cor.* 6. Tertio: quando Hymeneum & Alexandrum propter hæreſim tradidit Satanæ, 1. *ad Timoth.* 1. 20. Quarto: quando Theſſalonicenſibus ſcripſit Epiſt. 2. cap. 3. ver. 14. *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.*

VI. Si dicas, hæc ſolum probare, Prælatos poſſe ſubditos adigere ad obediendum, quando agitur de præceptis Dei, quorum obſervantia eorum curæ demandata eſt: non vero poſſe aliquid præcipere, quod a Deo præceptum non ſit;

VII. Contra eſt. Poteſtas Prælatorum latius ſe extendit, quam ad ea quæ ſunt juris divini. Primo: quia teſtimonia Scripturarum ſuperius allata, ad hoc non reſtringunt. Secundo; quia Apoſtoli multa præceperunt Fidelibus, quæ non ſunt juris divini. Nam *Act.* 15. *ver.* 28. prohibent eſum ſanguinis, ſuffocati, & immolatorum, quæ tunc temporis nulla lege divina erant prohibita. Non veteri, quæ jam erat abrogata: non nova, quia hæc prohibitio in novo Teſtamento non legitur. Tertio: D. Paulus 1. 1. *ad Timoth.* 3. *ver.* 2. legem ſtatuit de Bigamis non admittendis ad Epiſcopatum: & alibi, præſertim 1. *Cor.* 7. *ver.* 10. diſtinguit ſua præcepta a præceptis Chriſti. Tertio: lege perpetua Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore, ut ait Auguſtinus ad Januarium *Epiſt.* 118. modo 54. *cap.* 6. Euchariſtia non niſi a jejunis ſumenda eſt. Et quamvis Chriſtus oppoſitum fecerit, attamen *non præcepit, quod deinceps ordine ſumeretur; ut Apoſtolis, per quos Eccleſiam diſpoſiturus erat, ſervaret hunc locum.* Feſtum Sabbati, ut notat idem Auguſt. *Epiſt.* 119. *ad Januar.* modo 55. *cap.* 13. a Chriſtiana Eccleſia in diem Dominicum mutatum eſt; cui diei alligatum quoque eſt feſtum Paſchatis: & alia multa, vel mutata, vel præcepta per totam obſervantur Eccleſiam, de quibus, ut ait Auguſt. citata Epiſt. 118. modo 54. ad Januar. cap. 5. *Quia ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Quam poteſtatem Eccleſiam trium priorum ſeculorum in ſe agnoviſſe demonſtrant Canones, quos edidit. Cum ergo dotes ac privilegia, quæ Chriſtus Eccleſiæ conceſſit, non ad unum tempus coarctentur, ſed ad omnia ſecula ſe extendant; ſequitur, quod etiam Eccleſia præſens eiſdem potiatur. Si enim hæc poteſtas non adeſſet ſubditos in officio per leges continendi: Eccleſia demandatum ſibi a Chriſto miniſterium rite exercere non poſſet.

VIII. Secunda vero pars, nempe, Chriſtianos Principes habere poteſtatem condendi leges Civiles, prob. primo. Quia Chriſtus, & Apoſtoli eam in Principibus quoque Ethnicis agnoverunt, & ſervandam præceperunt. Chriſtus interrogatus: an liceret tributum dari Cæſari; reſpondit, Lucæ 20. ver. 25. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Et quod dixit, opere implevit; dum *Matth.* 17. *ver.* 26. ſolvit didrachma cenſus. S. Paulus in ſuis Epiſtolis totus eſt in ſuadenda obedientia Regibus, ac Principibus, etſi Ethnicis. Ad Rom. 13. ver. 1. *Omnis anima* (inquit) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt.* Et ver. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal &c.* Ad Titum 3. ver. 1. *Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire &c.* Et D. Petrus Ep. 1. cap. 2. a ver. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive ducibus, tamquam a Deo miſſis ad vindictam malefactorum... Quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Eorum ſcilicet, qui initio prædicationis Evangelicæ Chriſtianos accuſabant, quod humanum Principatum everterent, & obedientiam humanis legibus, & Principibus interdicerent: quod teſtatur Chryſoſtomus *homil.* 23. *in Ep. ad Timoth.* his verbis: *Plurima tunc temporis circumferebatur fama, traducens Apoſtolos, veluti ſeditioſos, rerumque novatores; qui omnia ad evertendum leges communes & facerent, & dicerent.*

IX. Ad hanc calumniam repellendam, nedum Petrus, & Paulus in ſuis Epiſtolis multa de obedientia Superioribus, & Principibus debita ſcripſerunt, ſed etiam veteres Patres. S. Policarpus apud Euſebium *lib.* 4. *Hiſt. cap.* 15. *ad Proconſulem*, ait: *Tibi quidem rationem reddere non me piget. Præceptum enim nobis eſt, ut magiſtratibus, & poteſtatibus a Deo conſtitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipſis nihil noceat.* Et S. Juſtinus *Apolog.* 2. pro Chriſtianis: *Vectigalia ſane* (inquit) *& collationes ei, qui a vobis ſunt ordinati exactoribus, præ omnibus ubique inferre contendimus:* & ita a Chriſto inſtitutum accepiſſe. Tertullianus in *Apologetico cap.* 3. exprobrat Gentilibus, quod in Chriſtianis perſequerentur eos, qui pro ſalute Imperatorum expanſis manibus rogabant Deum verum. Et Imperatorias leges tanto ſtudio Eccleſiæ naſcentis Fideles obſervabant; ut Plinius ſcribens ad Trajanum de Chriſtianis, ſignificaverit, ſe nihil inveniſſe, quo culpari poſſent de non ſervatis (excepta Religione) Imperatoriis legibus, atque edictis.

X. Et merito: nam Chriſtus, & lex Evangelica Principes ſeculares, & Prælatos Eccleſiaſticos ſua auctoritate non fraudat, & ſpoliat; immo potius illam commendat, ſtabilit, & confirmat, velut a Deo derivatam, juxta illud Joann. 19. ver. 11.

v. 11. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam* (ajebat Chriſtus Pilato) *niſi tibi datum eſſet deſuper.* Et Rom. 13. v. 1. *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Nec etiam eos privat illius poteſtatis uſu in condendis legibus ad bonum regimen Eccleſiæ, vel Reipublicæ: multa enim occurrere poſſunt ad Dei cultum, Sacramentorum adminiſtrationem, morum directionem, ac rectam, tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ adminiſtrationem, pacem, tranquilitatem, quæ divina novi Teſtamenti lege, aut lege naturali determinata, & expreſſa non ſunt. Homines etiam, ut docet D. Thom. hac *q.* 95. *art.* 1. eſto quamdam aptitudinem habeant ad virtutem, egent tamen quadam diſciplina, eos proxime ordinante ad illam: multi etiam proniores ſunt ad vitia, quam ad virtutes, protervi; oportuit ergo leges aliquas poni, quibus, vel magis ad virtutem accenderentur, vel a vitiis cohiberentur timore pœnæ. Unde *Rom.* 13. *v.* 4. dicitur: *Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim miniſter eſt, & vindex in iram ei, qui malum agit.*

XI. Dico ſecundo. Leges tam Eccleſiaſticæ, quam Civiles obligant in conſcientia. Probo. Illæ leges obligant in conſcientia, quibus homo ſi non obediat, Deo non obedit; ſibi damnationem acquirit, & ex neceſſitate obedire tenetur propter conſcientiam: ſed tales ſunt leges humanæ tam Eccleſiaſticæ, quam Civiles; ergo &c. Minorem docet S. Paulus Rom. 13. v. 2. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et v. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quibus Apoſtolus dum ait: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: & damnationem acquirit, & non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, opponitur Calvino volenti, leges humanas non obligare in conſcientia. Dum vero dicit: *Neceſſitate ſubditi eſtote*, directe expugnat Lutherum dicentem, Fideles nulli legi humanæ eſſe ſubditos, niſi ipſi velint.

Specialiter autem leges Eccleſiaſticas obligare in conſcientia, expreſſit Chriſtus, Lucæ 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit: Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me.* Qui autem ſpernit Chriſtum, & Deum, certe in conſcientia reus eſt; ergo & qui ſpernit legem Eccleſiæ &c. quam qui non audierit, habendus eſt, ut Ethnicus, & Publicanus, ut dicit, *Matth.* 18. *v.* 17. Rurſus illæ leges obligant in conſcientia, quæ ligant non ſolum coram hominibus, ſed etiam coram Deo in Cælis: ſed hujuſmodi poteſtatem habent a Chriſto leges Eccleſiaſticæ, Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælo*; ergo &c.

XII. Hanc veritatem docet S. Thom. *q.* 96. *a.* 4. ubi ait: *Leges poſitæ humanitus, vel ſunt juſtæ, vel injuſtæ. Si quidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud Proverb.* 8. Per me Reges regnant, & legum Conditores juſta decernunt. *Dicuntur autem leges juſtæ: & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune: & ex auctore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis: & ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune.* Et rationem reddens, proſequitur: *Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis: ſicut & quælibet pars id, quod eſt, eſt totius; unde & natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges hujuſmodi onera proportionabiliter inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales.*

§. III.

Reſpondetur Hæreticorum Objectis contra primam Aſſertionem.

XIII. OBjiciunt primo contra primam aſſertionem. Deus non vult, aliquid addi ad ſua præcepta neque in veteri, neque in novo Teſtamento. De Veteri conſtat ex illo Deuter. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.* Et c. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* De novo ex illo Matth. 28. v. 20. *Docentes eos, ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Ubi Chriſtus non dixit Apoſtolis, ut doceant ſervare ſua præcepta, ſed Chriſti. Et ratio eſt: quia lex Evangelica, quæ a Chriſto lata eſt, per ſe ſufficit ad ſalutem; ergo fruſtra aliquid ei additur.

XVI. Reſpondeo ad id, quod de veteri Teſtamento dicitur, Deum in Deuteronomio loqui de præceptis cæremonialibus, & judicialibus a ſe datis; & prohibere Judæis, ne aliquid addant, ſcilicet, ex ritu Gentilium, inter quos vixerant in Ægypto, & deinceps victuri erant in Palæſtina. Et quod ita ſit, conſtat ex *Deuteron. c.* 12. *v.* 30. *&* 31. ubi poſtquam Deus præcepit Judæis, ne in Sacrificiis imitentur Gentes, nec cæremonias eorum requirant, dicentes: *Sicut coluerunt Gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam*, maxime offerendo filios, & filias, comburendo eas igne; ſed ea tantum offerrent, & eo ritu, quo ipſe præſcripſerat: mox ſubjungit: *Hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas.* Ex quibus patet, quam inepta ſit Adverſariorum illatio: Deus prohibuit Judæis, ne imitarentur Gentiles in cæremoniis, & Sacrificiis; ergo prohibuit Prælatis Eccleſiæ leges ferre, quibus id, quod Chriſtus præcepit, exactius obſervetur, & quibus majus Eccleſiæ bonum promoveatur. Alioquin nec Apoſtoli in Concilio Jeroſolymitano potuiſſent legem condere de abſtinentia a ſuffocato, & ſanguine; nec Paulus ſtatuere, quæ in ſuis Epiſtolis ſtatuit, ut ſupra dictum eſt.

Quod vero addunt ex Matth. 28. facit pro nobis. Primo: Chriſtus præcepit Apoſtolis, ut docerent quæcumque ipſe mandavit: ſed mandavit, ut etiam præcepta Eccleſiæ obſerventur: ait enim Matth. 18. v. 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; & Lucæ 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit &c.* ergo &c. Secundo: Si Apoſtoli debebant docere Gentiles, ſervare omnia mandata Dei; cur dicunt, mandata Dei eſſe impoſſibilia? An putant, ſervari debere, quæ ſervatu impoſſibilia ſunt? Quod addunt, legem Evangelicam ſufficientem eſſe ad ſalutem, verum eſt: ſed lex Evangelica mandat, obſervari non ſolum præceptum Dei, ſed etiam præcepta Eccleſiæ, & eorum, quos Deus auctoritate ſua præſuppoſuit hominum regimini.

XV. Objiciunt ſecundo, Chriſtus ſæpe damnat præcepta humana, ut Marci 7. v. 7. *In vanum autem me colunt docentes doctrinas, & præcepta hominum.* Et Matth. 23. v. 4. reprehendit Phariſæos, quod *alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*, ideſt, quod imponerent præcepta gravia.

XVI. Reſpondeo, Chriſtum citatis locis reprehendere Phariſæos multis de cauſis. Primo, quod docerent aliqua, quæ repugnarent præceptis divinis: & in hoc ſenſu reprehendit eos, *Marci* 7. Secundo, quod darent aliis gravia præcepta, quæ ipſi non ſervarent. Ita, *Matth.* 23. *v.* 4. ubi addit: *Digito autem ſuo nolunt ea movere.* Tertio: quod darent quædam inutilia, & vana, ut *Marci* 7. *v.* 3. & 4. Quarto, quod hæc minutiora pluris facerent, quam divina; immo quod divina negligerent, *Matth.* 15. *v.* 23. & *Marci* 7. v. 8. Addit tamen, quod Adverſarii diſſimulant, non ſolum divina, ſed etiam humana ſervanda eſſe, licet minutiora videantur: ſic enim ait Matth. 23. v. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

XVII. Objiciunt tertio. Chriſtus abrogavit leges Moſaicas, quia multas, & difficiles, dicens, Matth. 11. v. 29. *Jugum enim meum ſuave eſt*: ſed admiſſis legibus Pontificiis, quæ multo plures, ac difficiliores ſunt, jugum Chriſti fieret gravius jugo legis; ergo &c.

Confirmant ex S. Auguſt., qui *Ep.* 119. modo 55. *ad Januarium c.* 19. conqueritur, tolerabiliorem fuiſſe conditionem Judæorum, quam modo Chriſtianorum; quia Judæi etſi haberent multa præcepta, erant tamen divina: at Chriſtiani, & plura habent, quam Judæi, & hæc non divina, ſed humana.

XVIII. Reſpondeo, data majori (quæ negari poſſet: Chriſtus enim abrogavit leges Moſaicas ob alias cauſas, ut ſupra vidimus; & præcipue, quia erant infirmæ, & figuræ legis venturæ) negando min. Non enim leges Pontificiæ plures, & graviores ſunt, quam Moſaicæ: hæ enim erant plurimæ, præſertim de oblationibus, Sacrificiis, purificationibus, delectu ciborum, quæ obligabant omnes, ac multo ſeveriores pœnas infligebant. Leges autem Eccleſiaſticæ obligantes in conſcientia generaliter vix ſunt quatuor, aut quinque, nempe, de ſervandis Feſtis, jejuniis, confeſſione annua, & communione Paſchali. Quæ autem in Jure Canonico continentur, vel non ſunt leges obligantes in conſcientia, ſed piæ quædam conſtitutiones: vel non obligant omnes, ſed paucos, puta, Clericos, Monachos: vel denique non tam novæ leges, quam explicationes, & determinationes legis divinæ. Nam hæc obligat nos, ut aliquando jejunemus, confiteamur peccata, communicemus, dies feſtos colamus: Eccleſia autem determinat modum, & tempus, quo iſta facienda ſunt.

XIX. Ad Confirm. dico, S. Auguſtinum nobis favere. Nam loco citato expreſſe approbat, non modo præcepta Dei, ſed etiam Eccleſiæ, & Conciliorum, & conſuetudines generaliter receptas, ut ſupra oſtendimus. Solum ergo ibi rejicit quoſdam abuſus, qui, præter communem Eccleſiæ conſuetudinem, in quibuſdam locis irrepſerant. Verba ejus ſunt: *Quod autem inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum... Sed hoc nimis doleo, quod multa, quæ in divinis libris ſaluberrime præcepta ſunt, minus curantur. & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, nec conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt... ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* Ecce Auguſtinum, ultra Scripturarum auctoritatem, admittentem ſtatuta Conciliorum, & Eccleſiæ conſuetudinem, quæ Calvinus negat.

XX. Objiciunt quarto. Chriſtus alloquens Apoſtolos, Lucæ 22. v. 25. *Reges* (inquit) *Gentium dominantur eorum... vos autem non ſic*; cenſet ergo Chriſtus, nullam apud Fideles vigere dominationem, ac proinde nullam legiſlativam poteſtatem. Ac ſimiliter 1. *ad Cor. v.* 23. dicitur: *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.*

XXI. Reſpondeo, Chriſtum illis verbis ſolum monere diſcipulos, ne aliis præeſſe, ac dominari, ſive honores, atque excellentias affectent, ſed potius exoptent aliis ſervire: ſi autem aliis præeſſe cogantur, non id faciant quaſi dominantes, ut Reges gentium; ſed quaſi miniſtrantes, ipſum imitantes, qui cum eſſet eorum Dominus, ac Magiſter, in medio eorum erat, ſicut qui miniſtrat.

Paulus autem dicit: *Nolite fieri ſervi hominum*, nempe, ut exponit D. Thom. ibi Lect. 4. *Poſtponendo ſervitium Dei* (cujus pretio empti eſtis) *& vos humanis ſuperſtitionibus occupando.* Paulum autem non negare Chriſtianum poſſe alteri ſervire, conſtat ex *v.* 21. ubi ait: *Servus vocatus es? non ſit tibi curæ.* Et ad Epheſ. 6. v. 5. *Servi* (inquit) *obedite Dominis carnalibus &c.*

XXII. Objiciunt demum varios Scripturæ textus, quibus conantur oſtendere, Chriſtianos ab omni lege liberos eſſe. —— Sed quomodo intelligendi ſint, expoſuimus ſupra *Dub.* 1. §. 3. quo Lectorem remitto.

§. IV.

Reſpondetur Hæreticorum Argumentis contra ſecundam Aſſertionem.

XXIII. OBjiciunt primo leges humanas non obligare in conſcientia. Poteſtas politica eſt mere temporalis; ergo nihil ei cum conſcientia.

Reſpondeo, diſt. ant. Eſt mere temporalis ratione objecti, quia præcipit rem, ſeu actionem temporalem, con. ant. Ratione obligationis, nego ant. Sic enim dici poteſt ſpiritualis, quia obligat conſcientiam. Deus enim vult, ut etiam in actionibus externis, & temporalibus obediamus poteſtati politicæ: & ideo tenemur ei obedire.

XXIV. Objiciunt ſecundo. Finis legum civilium eſt pax externa: ergo non eſt pax conſcientiæ.

Confirmatur. Princeps humanus non judicat de internis, ſed tantum de externis; ergo &c.

XXV. Reſpondeo, nego conſeq. Eſto enim finis legum civilium ſit pax externa; cujus, Deo eam volente, eam procurent, in conſcientia tenemur eam ſervare.

XXVI. Ad Confirm. neg. conſeq. Quia judicium, & cognitio actus præcepti requiritur quidem ad vim coactivam, quæ poſita eſt in pœnis, quibus in prævaricatores animadvertitur: ut enim prævaricatores puniantur, neceſſe eſt, ut de prævaricatione convincantur: ſed ea cognitio ad vim directivam non requiritur: poſſunt enim humanis legibus imperari, quæ an poſtea a ſubditis fiant, vel non fiant, ignorentur. Nec inde ſequitur, quod humanum præceptum de eis non fiat: licet enim eorum prævaricatio, quia homini ignorata, ab homine non puniatur; punitur tamen a Deo, apud quem rei directe conſtituuntur.

XXVII. Sed dices. S. Th. hac 1. 2. *q.* 91. *a.* 4. hæc habet: *De his poteſt homo legem facere, de quibus poteſt judicare: judicium autem hominis eſſe non poteſt de interioribus actibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus, qui apparent.* Ex quo infert, præter leges humanas dari debere legem divinam; ergo &c.

XXVIII. Reſpondeo, S. Thomam loqui de lege humana ſecundum vim coactivam: cum enim actus interni hominis lateant, non poteſt lex humana de iis judicare, ac ſententim ferre; & ideo oportuit, ut ſuperveniret lex divina: non tamen loqui de lege humana ſecundum vim directivam. Nam eſto materia legis humanæ ſit actus externus; quia tamem eſt actus externus ut humanus, qui ut talis includit actum internum, ut debite fiat; ideo præcipiendo actum externum præcipere etiam poteſt actum internum.

XXIX. Pro quo noto: actus internos multipliciter ad actus externos comparari poſſe. Primo: tamquam habentes neceſſariam connexionem cum actibus externis in eſſe moris; ſicut attentio mentalis cum recitatione divini Officii: & ideo Eccleſia præcipiens externam recitationem, præcipit etiam internam attentionem. Secundo: actus interni poſſunt ſe habere per modum diſpoſitionis ad externum debite excercendum; ſicut interior deteſtatio peccati ad debite confitendum: & hac ratione Eccleſia ſtatuit; confeſſionem externam ſine tali interna diſpoſitione factam eſſe nullam, nec per eam præcepto annuæ confeſſionis ſatisfieri, ut declaravit Alexander VII. Tertio: alii ſe habere poſſunt per modum finis reſpectu externorum, qui præcipiuntur: & hos humanis legibus ſubjici, nemo negaverit. Cum enim Eccleſia præcipit jejunium, ut inter Chriſtianos Principes pacem a Deo obtineat, præcipit actum externum cum illa intentione. Quarto: alii ſunt qui per actus externos manifeſtantur, ut blaſphemia, vel propoſitio hæreticalis exterius ſerio prolata manifeſtat hæreſim internam: & hi actus legibus Eccleſiæ ſubjiciuntur non ſolum quoad vim directivam, ſed etiam coactivam: unde in eos pœnis canonicis animadvertit. Sic Martinus V. in Conc. Conſt. *Seſſ.* 46 Inquiſitoribus præſcribit, ut ſuſpectos de hæreſi interrogent: an pro defunctis Jo. Wicleffo, Joanne Hus, & Hieronymo de Praga preces fuderint, & an eis honorem viris ſanctis exhiberi ſolitum exhibuerint. Quinto tandem: actus interni ſunt, qui cum externis nullam connexionem habent, nec ſunt diſponentes ad actus externos, nec per eos manifeſtantur, nec ſunt finis eorum: & hos etiam poſſe eſſe materiam legis humanæ, oſtenditur a Trident. in proœmio *Seſſ.* 6. his verbis: *Diſtrictius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere &c.*

XXX. Sed inſtabis ulterius, primo. Ex dictis Eccleſia punire non poteſt actus mere internos: ergo nec poteſt præcipere. Conſeq. probatur. Quia Legislator debet habere poteſtatem cogendi ſubditos ſuos metu punitionia ad parendum legi.

XXXI. Secundo. Inferior poteſtas non poteſt imponere legem de eo, cujus judicium pertinet ad ſuperiorem poteſtatem: ſed judicium de actibus internis pertinet ad poteſtatem divinam, quæ poteſtate humana ſuperior eſt; ergo &c.

XXXII. Reſpondeo ad primam inſtantiam, neg. conſ. Plus enim requiritur ad puniendum, quam ad præcipiendum: nam ad puniendum requiritur juridica probatio, quæ plerumque de occultis, etiam exterius factis, haberi non poteſt. Deinde Princeps poteſt ferre legem, cujus tranſgreſſio mereatur pœnam æternam; & pater poteſt facere præceptum filio, puta, ne ſe jungat rebelli, cujus tranſgreſſio mereatur mortem temporalem: & tamem nec Princeps poteſt punire pœna æterna, nec pater filium morte corporali.

XXXIII. Ad ſecundam inſtantiam reſpondeo, maj. veram eſſe ſpectata poteſtate inferiori ſecundum ſe, non vero ſi poteſtas ſuperior ei conjungatur. Cum autem, ſicut dicit Apoſtolus *Rom.* 13. *v.* 1. omnis poteſtas humana a Deo ſit; & qui poteſtati humanæ reſiſtit in his, quæ ad poteſtatis ordinem pertinent, Dei ordinationi reſiſtat: inde eſt, quod qui tranſgreditur legem humanam, fit reus etiam coram Deo. Ita diſcurrit S. Thom hac *q.* 196. *a.* 4. *ad* 1.

XXXVI. Objiciunt tertio. Princeps, maxime ſecularis, non intendit ligare ſub peccato, ſed ſolum pœna temporali. Alias idem peccatum bis puniretur: ſemel hic a Principe ſeculari, & iterum a Deo poſt hanc vitam.

XXXV. Reſpondeo, non oportere, ut Princeps intendat obligare ſubditos ſub peccato; ſed ſatis eſt, ut obliget illos ad faciendum id, quod juſte præcipit: hoc enim poſito, lex neceſſario illos obligat in conſcientia. Non enim eſt in poteſtate Principis, vera lege ſubditos obligare ad faciendum id, quod præcipit, & eos non obligare in conſcientia. Sicut non eſt in poteſtate mea, ut voto caſtitatis me obſtringam ad ſervandam caſtitatem, & me non obſtringam in conſcientia: quia ſicut hoc ſequitur ex natura voti, ita illud ſequitur ex natura legis, quatenus fertur a poteſtate accepta a Deo. —— Neque novum, aut abſurdum eſt, ut idem peccatum bis puniatur. Nam furta, & homicidia non ſolum puniuntur a Deo, ſed etiam a Magiſtratu.

XXXVI. Objici poteſt quarto. Magis obligat minutiſſima lex divina, quam graviſſima humana: ſed minutiſſima divina, qua prohibetur mendacium officioſum, ſolum obligat conſcientiam ſub peccato veniali; ergo graviſſima humana ſub nullo obligat.

Reſpondeo, diſt. maj. Magis, ideſt firmius, conc. maj. Lex enim divina firma eſt, humana mutari poteſt. Magis, ideſt gravius, neg. maj. Falſum enim eſt, quod lex divina obliget ſemper cum graviori peccato, quam humana.

DUBIUM II.

De obligatione Legis Pœnalis.

§. I.

An Lex Pœnalis obliget in Conſcientia?

I. LEX humana vulgo triplex diſtinguitur: nempe, alia mere præceptiva, aut prohibitiva, quæ actum præcipit, aut prohibet, nullam faciens expreſſam mentionem de pœna in tranſgreſſore: cujuſmodi ſunt leges de Miſſa diebus feſtivis audienda, de ſolvendis vectigalibus, de grano a patria non extrahendo. Alia eſt pœnalis, nempe, quæ nullo expreſſo præcepto, vel prohibitione, pœnam in tranſgreſſores decernit: ſicut ſi lex dicat, qui frumentum e patria evexerit, ſolvet centum florenos. Alia eſt mixta, quæ præcipit aliquid fieri, vel omitti, ac inſuper pœnam apponit in tranſgreſſores. Et hoc vel copulative, ut cum dicitur, nemo efferat pecuniam extra Regnum, & qui extulerit, ſolvat centum. Vel disjunctive, ut ſi dicatur: nullus vinum e Regno evehat, vel qui evexerit, pendat centum. Certum eſt, legem humanam, ſive Canonicam, ſive Civilem pure præceptivam, vel prohibitivam obligare in conſcientia, hoc eſt, ad culpam (ut ſuperius dictum eſt) ſive mortalem, ſive venialem, ut inferius dicitur. Nunc de lege pœnali, ſive mixta, ſive pura, quæſtio eſt.

II. Dico primo. Omnis lex pœnalis mixta obligat ad culpam; ea quidem, quæ copulative datur, abſolute, & ſimpliciter: ea vero, quæ disjunctive ponitur etſi non ſimpliciter obliget ad faciendum, vel omittendum, quod lege præcipitur; ſub reatu tamen culpæ obligat, vel ad illud faciendum, vel ad pœnam ſubeundam: adeout ſi illud nolit facere, & pœnam ſubire, non ſit peccaturus: ſi autem neque velit facere, neque ſubire pœnam, vere coram Deo peccaturus ſit.

III. Prior pars probatur primo. Lex humana pure præceptiva, vel prohibitiva obligat ſub reatu culpæ, ut dictum eſt; ergo etiam lex pœnalis mixta, ſeu lex præceptiva, & pœnalis ſimul: ſi quidem additio pœnæ nihil detrahit ex obligatione præcepti, immo eam auget, & confirmat. Idque patet primo ex illa lege divina, Geneſ. 2. v. 17. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Ubi additio pœnæ auget, & confirmat vim præcepti, non tollit. Conſtat etiam in lege Canonica de Paſchali communione *C. Omnis utriuſque ſexus;* cui additur hæc pœna in tranſgreſſionem: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Quis autem dicat, ob appoſitam pœnam, non peccare eum, qui communionem Paſchalem negligat? Patet quoque in lege Civili de armis noctu non ferendis, ſub pœna carceris. Ea enim pœna ideo apponitur, quia arma noctu ferens eſt inobediens legi: omnis autem inobedientia per ſe culpæ rationem habet. Addo: quod pœna non excludit culpam, ſed ſupponit; immo propter culpam infligitur, ſeu ut homines a culpa, & tranſgreſſione legis metu pœnæ arceantur, ac fidelius legem obſervent: nihil autem horum haberetur, ſi appoſitio pœnæ tolleret culpam.

IV. Poſterior pars probatur. Dum enim lex disjunctive exprimitur, ſignificat voluntati ſubditorum relinqui, ut quam maluerint partem eligant; nimirum, ſi velint mulctam ſtatutam ſolvere, actum lege expreſſum implere non teneantur: qui enim alterutram disjunctive partem implet, non tranſgreditur legem.

Quemadmodum ad falſitatem propoſitionis disjunctivæ requiritur falſitas utriuſque partis: & ad veritatem ſufficit veritas unius ex partibus disjuncti: ita ad tranſgreſſionem legis ſub disjunctione præcipientis, vel prohibentis requiritur tranſgreſſio totius disjuncti, nempe, quod nec unum fiat, nec alterum; ad impletionem vero ſatis eſt alterutrum ponere.

V. Dico ſecundo. Lex mere pœnalis obligat ſub reatu culpæ, tum ad pœnam ſubeundam, tum ad ponendum actum lege præceptum; vel omittendum lege prohibitum, niſi conſtet, aliam eſſe mentem Legislatoris.

Priorem partem, quam tutiorem judico, & probabiliorem, quidquid alii aliter ſentiant, probo primo ex D. Th. hac *q.* 96. *a.* 3. ubi generaliter docet, omnes leges, *ſi juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur:* & ab hac obligatione ſolum excipit leges injuſtas, quæ non ſunt veræ leges; ergo leges pœnales pure, quæ veram habent rationem legis, obligant in foro conſcientiæ.

Secundo. Lex mere pœnalis juſta obligat ſub reatu culpæ ad ſubeundam pœnam: qui enim non ſolvit, fit legi inobediens. Obligat quoque ad ponendum, vel omittendum actum præceptum, vel prohibitum ſub eodem reatu; quia pœna juſte non infligitur, niſi ei, qui peccaverit, ſeu propter culpam. Unde S. Auguſtinus l. 3. de Liber. arb. c. 18. *Omnis autem* (inquit) *pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur.* Unde infert, pœnam, quam homines ex Adamo geniti patiuntur, cum juſta ſit, pro peccato aliquo penditur, & conſequenter datur peccatum originis, quod probat l. 1. *Retract. c.* 9. Rurſus inflictio pœnæ virtualiter includit Legislatoris præceptum, aut prohibitionem: ideo enim pœnam intimat, quia vult, ut actus, vel fiat, vel omittatur. Ac proinde nulla datur vera lex ita mere pœnalis, quæ non ſit ſaltem virtualiter mixta.

VI. Dixi tamen: *niſi conſtet, aliam eſſe mentem Legislatoris.* Si enim conſtet, quod nullo modo velit obligare ad culpam; ſed de hac non procedit noſtra reſolutio. Sed tamen dicimus, talem ejus conſtitutionem non fore veram legem, ſed meram directionem, vel conſilium. Et hoc pacto S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *art.* 1. *ad* 1. dicit: *In aliqua tamen Religione, ſcilicet Ordinis Fratrum Prædicatorum, tranſgreſſio talis, vel omiſſio ex ſuo genere non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, ſed ſolum ad pœnam taxatam ſuſtinendam.* Sed hoc ideo eſt, quia Legislatores non intenderunt veras leges ferre; ſed ſolas ordinationes, & directiones moventes, & hortantes, quid ad melius bonum fieri deceat, non tamen præcipientes, ut id fiat, ut notat idem S. Doct. citatus *ad* 2.

§. II.

Solutio contrariarum Objectionum.

VII. COntra primam aſſertionem non occurrunt argumenta, præter ſuperius propoſita, & ſoluta. Contra ſecundam ſic objici poteſt. Primo. In dubio de mente Legislatoris, oportet, ejus mentem in mitiorem partem interpretari: quando igitur ipſe mentem ſuam non explicat, dum legem pœnalem ſtatuit, debemus interpretari, quod non obliget ad culpam. Eo vel maxime, quia qui de duobus affirmat unum, cenſetur negare alterum: cum ergo lex poſſit obligare ad hæc duo, nimirum, ad culpam, & ad pœnam; ſi Legislator meminit ſolius pœnæ, ſignum eſt, quod non velit obligare ad culpam.

VIII. Reſpondeo, non eſſe dubium de mente Legislatoris, quando ipſe legem fert verbis præceptivis, aut prohibitivis, vel æquivalentibus, & pœnam tranſgreſſoribus intentat; quæ, ut dicebamus, non infligitur niſi propter culpam. Immo, ut dicebamus, non oportet, ut Legislator intendat obligare ſub culpa, ſed ſatis eſt ut intendat, veram legem ferre: hoc enim ipſo lex obligat in conſcientia.

Ad id, quod additur, dico, illud axioma, qui unum affirmat, cenſetur negare alterum, veritatem habere in iis, quæ ſunt incompoſſibilia, non autem in aliis, ſaltem univerſaliter. Cum vero obligare ad culpam, & ſimul ad pœnam non ſolum non ſint incompoſſibilia, ſed potius unum implicite contineat, & ſupponat alterum, ut dictum eſt; dicendum videtur, in voluntate præcipiendi ſub pœna contineri voluntatem obligandi ſub culpa ad faciendum id, quod præcipitur.

IX. Objici poteſt ſecundo. Conſuetudo ſic leges pœnales interpretatur; ut homines communiter exiſtiment, ſe legi pœnali ſatisfacere, ſolvendo pœnam.

X. Reſpondeo, me non negare, non paucos ita interpretari: ſed probabilius, & tutius ſentio oppoſitum, & omnem legem vere talem exiſtimo eſſe mixtam. Nec enim probare poſſum eos, qui juſta tributa per fraudem, ac ſimulationem ſolvere prætermittunt; excuſarique ſe putant a peccato, eo quod ſubeant periculum luendæ pœnæ a lege taxatæ. Quæ enim juſte ſunt debita, non fiunt indebita propter appoſitionem pœnæ; ſed potius per eam oſtenditur, quod exacte ſolvi debeant. Ut enim dicit Apoſtolus Rom. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Nam, ut dicebam, omnis lex pœnalis mixta dici poteſt, quia continet pœnam, & præceptum.

§. III.

An Leges Pœnales obligent ad Pœnam ſtatim ſubeundam?

XI. SEnſus quæſiti eſt: An qui leges pœnales tranſgrediuntur, pœnam conſtitutam ſubire teneantur, antequam a Judice, vel ipſi condemnentur, vel eorum crimen declaretur. Ad cujus reſolutionem ſciendum eſt, quaſdam leges continere pœnam ferendam, quæ pœnam comminantur, vel ſignificant eam eſſe irrogandam, ut cum dicitur: *Sub pœna excommunicationis, ſub pœna privationis bonorum, vel ſuis bonis privetur, ſolvat centum florenos, excommunicetur.* Quidam vero continere pœnam latam, ut ſi dicatur: *In ipſo facto ſit excommunicatus, excommunicationem ipſo facto incurrat, ſuis bonis ipſo jure privetur, aut privatus ſit, vel ſine alia ſententia, aut nulla Judicis expectata ſententia, ſit privatus, vel privamus, noverit ſe eſſe privatum, excommunicatum, ſuis bonis excidiſſe, aut privatum eſſe.* Quod ſi dubium ſit, verbis legum etiam bene perpenſis, an pœnam latam, vel ferendam tantum contineant; illæ leges de pœna ferenda intelligendæ erunt: quia juxta regulam Juris 49. *In pœnis eſt interpretatio facienda.* His notatis

XII. Reſpondeo primo. Quando lex pœnalis continet pœnam ferendam, ejus tranſgreſſor non tenetur in conſcientia illam ſubire ante ſententiam Judicis. Tum quia lex non ſe extendit ultra intentionem Legislatoris rationabilem, verbiſque conformem. Tum quia in pœnis (ut dictum eſt) benignior interpretatio facienda eſt.

XIII. Reſpondeo ſecundo. Quando lex continet pœnam latam, ſed qui requirit actionem ipſius rei, non tenetur ordinarie eam ſubire ante ſententiam Judicis (niſi forte actio illa ſit aliqua diſciplina religioſa, puta jejunium, oratio &c.) Poſt ſententiam vero tenetur illam ſubire: ſi tamen talis actio ſit ei licita, & citra inhumanitatem poſſit eam facere. Ratio primæ partis eſt: tum quia cum leges ſint ex ſe mutæ, opus habent judice, qui eas exequatur, vel exequi curet. Tum quia ab humana conſuetudine alienum eſt, quod is, qui peccavit, ſponte, & abſque ulla condemnatione vel declaratione pœnam, vel exilii, vel ſolutionis pecuniæ ſubeat. Ratio vero poſterioris partis eſt: quia reus parere debet juſtæ ſententiæ, & juxta eam facere. Unde ſi quis prævaricatus fuerit legem, quæ ipſo facto irrogat pœnam exilii, vel pecuniæ; eſto non teneatur ante ſententiam judicis abire in exilium, vel pecuniam ſolvere, ſaltem ordinarie: tenetur tamen ea ſecuta ſponte abire, & pecuniam ſolvere, etiam non rogatus, nec compulſus.

Cæterum ſi actio, quæ ad pœnæ executionem requiritur, vel non ſit reo licita, vel valde crudelis, & inhumana, ipſe non tenetur eam exequi, etiam poſt latam a judice ſententiam. Tum quia nunquam licet ei peccare. Tum quia ſuavitati legum, ac ipſi legi naturæ repugnat, quod in hujuſmodi homo ſit tortor ſui ipſius. Quare ſi reus condemnetur ad ſuſpendium, vel mutilationem, non tenetur ſeipſum ſuſpendere, aut mutilare. Et hoc regulariter contingit, quando ſententia lata non ſolet executioni mandari, niſi per miniſtrum juſtitiæ: tunc enim reus non tenetur eam exequi, ſed patienter ſuſtinere, quando inferetur.

XIV. Reſpondeo tertio. Quando lex continet pœnam latam in mera privatione conſiſtentem, ſicut quando lex, ante Judicis ſententiam, ipſo facto privat tranſgreſſorem, jure, vel commodo, vel actione, aut aliquo alio bono; cum illa pœna ad ſui executionem nullam actionem requirat, nec quidquam contineat juri naturali repugnans, ſtatim incurrit, ac ſtatim ſubiri debet. Sic cenſuræ a lege ipſo facto impoſitæ ſtatim incurruntur, nulla judicis expectata ſententia; & bonorum, quæ ipſo facto lege confiſcantur, dominium amittitur. Idemque judicium eſſe debet de privatione vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto irrogatæ. Idem quoque de beneficii Eccleſiaſtici titulo, ac proprietate in Clerico, qui tale crimen admiſit, cui ipſo facto eſt annexa privatio.

XV. Attamen noto primo: quod reus ante Judicis declarationem non tenetur ſeipſum abdicare a poſſeſſione beneficii, a cujus titulo excedit: nec reſtituere fructus ex ipſo perceptos, modo officia, & onera beneficio annexa exequatur: niſi tamen ipſa lex expreſſerit, ut de facto debeat in conſcientia beneficium deponere; vel niſi exprimat, quod ipſo facto ante Judicis declarationem debeat beneficium dimittere. Hinc

XVI. Noto ſecundo, quod ſi reus ante Judicis declarationem aliquos actus ſuæ juriſdictionis exerceat, etſi illicite agat, validi tamen ſunt. Unde ſi Clericus ſit Parochus, & crimen ejus palam notorium non ſit, ut conſtet, quod beneficii titulum amiſerit; valent ejus acta, & confeſſiones ipſi factæ, & abſolutiones ab ipſo datæ validæ, ac ratæ ſunt. Et ſi Canonicus ſit, ac ſuffragium ferat in Canonicorum collegio, valet ejus ſuffragium ob communem errorem. Tunc enim Eccleſia, ne conſcientiæ perturbentur, cenſetur auctoritatem illi conferre. Ita valde probabiliter cenſet Sylvius hac *q.* 96. *a.* 4. *quæſito* 9. cum aliis.

D U B I U M III.

An Lex Humana obliget ſub Mortali: & an cum diſpendio Vitæ?

§. I.

Reſolutio prioris Partis.

I. DIco primo. Leges humanæ nedum Eccleſiaſticæ, ſed politicæ interdum obligant ſub peccato mortali. De lege Eccleſiaſtica conſtat ex *Deuteronom.* 17. *v.* 12. ubi qui nolebat obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, jubetur interfici: ſed nunquam jubetur inferri pœna mortis, niſi ob peccatum grave, & mortale, ergo &c. Quod ſi Sacerdotibus veteris legis, eorumque decretis tanta fuit auctoritas, & poteſtas data; quanto magis cenſeri debet data eſſe Sacerdotum Principibus in nova lege, cum Sacerdotium novæ legis longe ſit excellentioris dignitatis? Sicut ergo qui nolebat obedire imperio Sacerdotis in veteri lege privabatur, volente Deo, vita corporali; ita in nova lege privabitur vita animæ.

II. Hinc Chriſtus *Matth.* 18. *v.* 17. declarat, habendum eſſe ſicut Ethnicum, & Publicanum, qui Eccleſiam audire noluerit: & *Luca* 10. *v.* 16. proteſtatur, quod qui Eccleſiæ Prælatos ſpernit, ſeipſum, & Patrem ſuum ſpernit, & *Matth.* 18. *v.* 18. Quæcumque per ipſos fuerint alligata in terra, fore ligata & in Cælis pronunciat. Propterea ſententia communis, ac certiſſima apud omnes Catholicos eſt, Fideles ſub reatu culpæ mortalis præcepto Eccleſiæ teneri Sacrum diebus feſtis audire: Quadrageſima, aliiſque ſtatutis diebus jejunare: ſemel in anno confiteri: & in Paſchate Euchariſtiam ſumere.

III. De legibus quoque Civilibus, eas ſub reatu peccati mortalis poſſe obligare, colligitur ex Paulo, *Rom.* 13. dicente: *Qui reſiſtit poteſtati* (loquitur autem de poteſtate civili) *Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et mox: *Subditi eſtote: non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

IV. Sed dices primo. Ille ſolus poteſt ad culpam præcipue mortalem obligare, qui poteſt hominem privare gratia, quique poteſtatem habet ligandi in foro conſcientiæ: ſed nullus homo poteſt alterum gratia privare, ſicut nullus poteſt gratiam inducere. Legislator autem civilis non habet poteſtatem ligandi, ſicut nec ſolvendi in foro conſcientiæ; ergo &c.

V. Reſpondeo, negando abſolute maj. Ut enim quis obliget alterum ſub culpa mortali, non requiritur ut poſſit illum privare gratia efficienter, & per ſe; hoc enim ſolus Deus poteſt: ſed ſat eſt, quod ei aliquid præſcribat auctoritate ſibi a Deo collata; quod ſi voluntarie non ponat, Deus illum gratia privet, nec velit amplius in eo gratiam ſuam conſervare; ſicut ſi quis legem Proregis tranſgrediens, a gratia Regis excideret. —— Legislatores autem civiles, eſto non poſſint auctoritate clavium, & judiciali ſolvere, aut ligare in foro conſcientiæ; poſſunt tamen imperare actum lege tali, cujus obſervatione actus evadat bonus, & Deo acceptus, & cujus tranſgreſſione evadat malus, & Deo odibilis: hoc autem modo Princeps politicus obligare poteſt in conſcientia, etiam ſub mortali.

VI. Dices ſecundo. Poteſtas Legislatoris inferioris non poteſt inducere obligationem in foro poteſtatis ſuperioris —— Sed ad hoc jam dictum eſt, quod licet non poſſit, ſi poteſtas inferior præcipiat contra ordinem poteſtatis ſuperioris; poteſt tamen, ut ſtat ſub ordine poteſtatis ſuperioris. Cum autem humanus Legislator fert legem juſtam, eam fert, ut ſtat ſub ordine legis naturalis, aut divinæ; a qua participat vim obligandi etiam in foro divino, quod eſt forum conſcientiæ.

VII. Dices tertio. Poteſtas Principum ſecularium eſt mere temporalis, & politica; ergo non poteſt obligare ad culpam, maxime mortalem, cui pœna æterna debetur.

VIII. Reſpondeo, diſt. ant. Temporalis ratione objecti, conc. ant. Quia ſecundum ſe tota eſt de perſonis, rebus, & actionibus temporalibus. Ratione obligationis quam inducit, neg. ant. Ut enim ſtat ſub ordine divinæ poteſtatis, a qua derivatur poteſtas politica, virtute illius poteſt obligare quoad culpam etiam mortalem, & pœnam æternam. Qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & damnationem acquirit, ut ex S. Paulo *Rom.* 13. dictum eſt.

IX. Dico ſecundo. Leges humanæ aliquando ſolum obligant ſub peccato veniali. Prob. Quædam leges naturales ſolum obligant ſub peccato veniali: ſicut quæ prohibent mendacium officioſum, levem exceſſum in materia temperantiæ, parvum iræ, vel invidiæ motum; ergo idem de legibus humanis cenſendum eſt: cum hæc non fortius obligent, quam naturales, cum ab iſtis vim obligandi accipiant.

Confirmo. Lex Divina non ſemper ita obligat ſub culpa mortali, quin admittat aliquam tranſgreſſionem levem, & venialem, puta irreverentiam aliquam levem in iis, quæ ſunt divini cultus.

§. II.

Regula dignoſcendi, quando Lex Humana obliget ſub Mortali, & quando non.

X. PRima regula eſt. Tranſgredi legem humanam juſtam ex contemptu, peccatum eſt mortale, etiamſi materia ſit levis.

Prob. Nam contemptus ille non lege ſiſtit, aut Legislatore humano, ſed in Deum, qui ei contulit poteſtatem, refunditur; omnis enim poteſtas a Deo eſt, ut ex Div. Paulo diximus; & qui Prælatum ſpernit, Deum ſpernit, ait Chriſtus *Luca* 10. *v.* 16. Et S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 9. poſtquam in corp. docuit, tranſgreſſionem etiam eorum, quæ non ſunt finis, ſeu de neceſſitate præcepti, eſſe peccatum mortale, ſi fiat ex contemptu; exponens ibidem *ad* 3. quid ſit agere ex contemptu: *Tunc* (inquit) *committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi legis, vel regulæ; & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam. Quando autem propter particularem aliquam cauſam, puta, concupiſcentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel alia ſimili peccatum iteret.*

XI. S. Bernardus *l. de Præcepto, & diſpenſ. c.* 8. aſſignans diſcrimen inter tranſgreſſionem ex neglectu, & tranſgreſſionem ex contemptu, ait: *Differunt autem, quod neglectus quidam languor inertiæ eſt, contemptus vero ſuperbiæ tumor. Porro contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis eſt: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis.* Ne autem quis putaret, ipſum loqui de contemptu ſolum in materia gravi; ait c. 11. *Peccata quippe ſunt, & Deus prohibet omne peccatum: & tamen venialia non criminalia reputantur, excepta cum per contemptum vertuntur in uſum, & conſuetudinem. Et tunc non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam; & convertit in crimen gravis rebellionis nevum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.*

XII. Secunda regula eſt. Lex Canonica, vel Civilis, obligat ſub mortali, quando materia, quæ præcipitur, eſt gravis: ſub veniali vero, quando materia eſt levis. Prob. Sic ſe habet quoad debitum lex humana, ſicut divina, ſive naturalis, ſive poſitiva: ſed lex divina in materia gravi obligat ſub mortalis peccati pœna; in materia vero levi ſub pœna ſolum veniali; ut patet in levi mendacio, in levi furto, in levi irreverentia erga parentes; ergo ſimiliter &c.

XIII. An vero lex, quæ verſatur circa materiam gravem, & de ſe obligare poteſt ſub mortali, poſſit ex intentione Legislatoris obligare ſolum ſub veniali: & viceverſa lex, quæ verſatur circa materiam levem, poſſit ex voluntate Legislatoris obligare ſub mortali, controvertitur inter auctores.

XIV. Reſpondeo ad primam partem dubii, probabiliorem videri ſententiam negativam. Nam cum obligatio legis humanæ ad culpam non oriatur præciſe ex voluntate Legislatoris ſecundum ſe, ſed prout ſtat ſub ordinatione legis divinæ, a qua derivatur, & hæc in omnibus ſuis præceptis: quæ ſunt in materia gravi, obliget ſub mortali; videtur idem dicendum de lege humana. Et ſicut non eſt in poteſtate voventis, ſe obligare ſolum ſub veniali, ſi materia, quam vovet, ſit gravis: ita nec in poteſtate Legislatoris erit obligare alios ſolum ſub veniali, ſi materia, quam præcipit, ſit gravis. Licet enim actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, quando intentio eſt conſentanea rebus, circa quas verſantur: ſecus tamen quando non eſt conſentanea rebus, & intentioni, quam circa talem materiam habere debent: alias poſſet quis vovere perpetuam caſtitatem, cum intentione ſolum ſe obligandi ſub veniali ad eam ſervandam.

XV. Reſpondeo ad ſecundam partem, non poſſe Legislatorem, ponendo aliquam legem in materia levi, obligare ſub peccato mortali. Prob. primo. Nam lex humana, ut juſta ſit, ac rationabilis, conformari debet æternæ, ac naturali, a quibus derivatur, formamque earum imitari, quantum poteſt, ſed lex æterna, & naturalis nunquam obligant ſub mortali in materia levi; ut patet in præceptis prohibentibus officioſum, aut jocoſum mendacium, furta parva, exiguas iras, & invidias &c. ergo lex humana &c.

XVI. Probatur ſecundo. Non eſt credibile, vel Deum, vel populos tantam poteſtatem dediſſe Prælatis, vel Principibus, qua pro ſuo arbitrio poſſent obligare ſubditos parum, vel multum, non habita ratione materiæ. Quare lex, qua Princeps rem levem ſub mortali præciperet, eſſet injuſta, & ſcandaloſa: præberet enim occaſionem ruinæ, & onus importabile imponeret. Quemadmodum enim injuſta eſſet lex, quæ rem aliquam levem ſub pœna capitis prohiberet: ita & multo magis ea, quæ ſub reatu pœnæ, & damnationis æternæ rem levem, aut præciperet, aut vetaret.

XVII. Noto tamen, quod res ſecundum ſe levis, quia tamen conſiderata cum omnibus circumſtantiis, in quibus præcipitur, poteſt fieri gravis: ideo poteſt aliquando præcipi etiam ſub mortali, & ſub cenſuris. Hac ratione eſto eſus fructus arboris ſcientiæ boni, & mali in parva quantitate, eſſet ſecundum ſe res levis; potuit tamen Deus illum prohibere Adamo ſub pœnis adeo gravibus; quia in illis circumſtantiis, in quibus Deus abſtinentiam a tali fructu præcipiebat, erat maxima: eam, nempe, Deus exigebat ab homine, ut primum teſtimonium ſuæ fidelitatis, obedientiæ, & ſubjectionis.

Similiter interdum ab Eccleſiæ Prælatis quædam res leves ſecundum ſe interdicuntur, vel præcipiuntur ſub pœna excommunicationis, vel in virtute ſanctæ obedientiæ; quia tamen ſpectatis fine, & aliis circumſtantiis; relate ſcilicet ad commune bonum Reipublicæ, Eccleſiæ, vel Religionis poſſunt evadere graves; ideo juſte ſub tanta pœna puniuntur. Quod ſi adhuc manerent leves etiam attentis circumſtantiis, male, & injuſte ſub ea pœna prohiberentur. Quia vero ſubditi ſæpe ignorant cauſas, ac juſtas rationes, ob quas ejuſmodi præ-

cepta

cepta traduntur; propterea etiamſi dubitari poſſet, tenentur obedire. In dubiis enim ſtandum eſt tutiori parti, & judicandum in favorem Legislatorum; qui nonnunquam ob commune bonum, ad vitandum ſcandalum, amovendum periculum majoris mali, & ob alias cauſas ipſis notas, ſupra res, cæteroquin leves, gravia præcepta imponunt.

XVIII. Quæres: Quandonam cenſeatur eſſe materia gravis, quæ lege humana prohibetur?

Reſpondeo, ex multiplici capite id poſſe dignoſci. Primo: ex ipſis verbis, quibus lex exprimitur: & hoc præſertim in legibus Eccleſiaſticis, in quibus hæc comminationis formula nonnunquam reperitur: *Sub indignatione omnipotentis Dei: ſub interminatione divini judicii.* : Secundo: ex gravitate pœnæ, quæ in legem peccanti infligitur. Cujuſmodi ſunt in lege Eccleſiaſtici excommunicatio, ſuſpenſio, depoſitio, interdictum perſonale: in Civili vero pœna capitis, ſervitutis, carceris, ſeu exilii perpetui, publicationis bonorum &c. Tertio: ex circumſtantiis, quæ occurrunt, puta, ſi premente annona Reſpublica præcipiat ſubditis, ut frumentum ſuum juſto pretio veneant, aut ne extra Regnum illud transferant. Quarto: ex fine magni momenti, quem Legislator ſibi proponit: cujuſmodi ſunt commune bonum, publica Fidelium ædificatio, amotio ſcandali &c.

XIX. Tertia regula eſt. Legem humanam tranſgredi cum ſcandalo, peccatum mortale eſt, etiamſi res ſit levis, & ſcandalum ſit grave; alioquin erit tantum peccatum veniale. Nam eſſe cauſam, vel occaſionem datam gravis ruinæ proximi, cujuſmodi eſt grave ſcandalum, ſine dubio grave peccatum eſt: eſſe autem cauſam alicujus parvæ ruinæ, peccati ſcilicet venialis, quale eſt parvum ſcandalum, peccatum veniale eſt.

§. III.

Reſolutio poſterioris Partis.

XX. DIco: Lex humana non ſemper, immo nec ordinarie, obligat cum periculo vitæ: aliquando tamen obligare poteſt. Prior pars, cujus oppoſitum ſentit Cajetanus 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. probatur. Non enim eſt major vis legis humanæ ad obligandum, quam legis naturalis, & divinæ poſitivæ: atqui lex naturalis (exceptis præceptis, quæ prohibendi vim habent) non obligant ſemper cum periculo vitæ, ſicut nec lex poſitiva divina: ergo multo minus lex humana. Min. de lege naturali probatur. Lex de reddendo depoſito non obligat eum, cui ex redditione depoſiti imminet mors. Lex de facienda eleemoſyna graviter indigenti, non obligat eum, qui habens unicum panem, eſſet fame moriturus, ſi alteri tribueret. Neque lex de ſecreto naturali cuſtodiendo, obligat eum, qui ex ejus cuſtodia mortem eſſet paſſurus: excipe tamen ſecretum confeſſionis, quod confeſſarius etiam cum vitæ diſpendio ſervare tenetur, quod S. Joann. Nepomucenus heroice præſtitit.

De Lege etiam poſitiva divina clarum eſt. Primo ex facto Davidis, qui 1. *Reg.* 21. neceſſitate compulſus comedit panes propoſitionis, quos non licebat ei comedere, ſed ſolis Sacerdotibus, ob legem *Levit.* 14. Quod exemplo, tamquam licito, Chriſtus *Matth.* 12. excuſat diſcipulos ſabbato ſpicas vellentes. Unde D. Th. 3. *p. q.* 40. *art.* 4. *ad* 3. ait: *Etiamſi diſcipuli, qui eſurientes ſpicas ſabbato vellebant, a tranſgreſſione legis excuſantur propter neceſſitatem famis: ſicut David non fuit tranſgreſſor legis, quando propter famis neceſſitatem comedit panes, quos ei edere non licebat.* Et hac 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. *ad* 3. ut ſuperius diximus, excuſat factum Machabæorum pugnantium in die ſabbati, ne ab hoſtibus interficerentur. Et quamvis divinum ſit præceptum, integre confiteri; grave tamen periculum vitæ, aut famæ pœnitentem excuſat, ne integre confiteatur.

XXI. His accedit, quod communis ſententia excuſat a jejunio, a Miſſa diebus feſtis audienda, ab horis recitandis, a converſando cum excommunicatis, aliiſque ſimilibus eos, qui non ſine periculo vitæ, aut alterius gravis incommodi poſſunt illa præcepta ſervare.

XXII. Poſterior vero pars probatur. Cum enim homo ſit pars Reipublicæ, & pars debeat non ſolum bona ſua, ſed & ſeipſam periculo exponere, ſi aliter totum conſervari nequeat; contingere poteſt, vitam unius particularis hominis neceſſario exponendam eſſe periculo, ut alia via bonum reipublicæ conſervari nequeat; ergo in tali caſu aderit in republica poteſtas imperandi, ut etiam cum vitæ ſuæ periculo legem a ſe ſtatutam obſervet. Igitur (& eſt prima regula) quando obſervatio legis humanæ plus confert communi bono Reipublicæ, vel Religionis, quam conſervatio vitæ propriæ; tunc lex obligat cum periculo vitæ. Seu, quando violatio legis humanæ plus nocet communi bono, quam vitæ propriæ amiſſio; tunc ſervanda potius eſt lex, quam vita conſervanda. Sed quando utilitas, quæ ex legis humanæ obſervatione expectatur, non eſt tanti momenti, quanti eſt vita hominis; tunc non obligat cum vitæ periculo.

Secunda regula eſt. Quando violatio legis humanæ cederet in contemptum fidei, aut Religionis, aut Eccleſiaſticæ poteſtatis, lex humana obligat cum periculo vitæ; quia pluris eſt fidem, religionem, & Eccleſiaſticam poteſtatem non contemni, quam vitam corporalem conſervari. Hinc ſi cui metus mortis incutiatur, niſi carnes die veneris, aut jejunii comedat, vel niſi Miſſam audire prætermittat, vel niſi Sacrum celebret coram excommunicato: & hoc fiat in contemptum fidei, vel Religionis, vel Eccleſiaſticæ poteſtatis ſive ad oſtendendum, fidem noſtram, aut Eccleſiaſticas leges eſſe nullius roboris, & non curandas, ſive ut riſui coram hæreticis exponantur, tunc oportet mortem potius ſubire, quam contra leges humanas agere: quamquam ſi ejuſmodi circumſtantiæ contemptus, irriſionis, & ſcandali abeſſent, ejuſmodi minis cedere liceret.

XXIII. Si dicas. In hujuſmodi caſibus non legem humanam, ſed naturalem, vel divinam obligare —— Reſpondeo legem divinam, & naturalem obligare quidem in communi, & indeterminate, ne fides contemptui, aut irriſioni exponatur: ſed quod iſte in hac circumſtantia obligetur potius vitam perdere, quam carnes edere, aut Miſſam omittere, lex humana facit, quæ hujuſmodi prohibet, non naturalis, aut divina.

XXIV. Quæri ſolet: An Carthuſianus vi ſuæ Regulæ obligetur ad abſtinentiam a carnibus etiam in extremo vitæ periculo?

Reſpondeo multa de hoc ab Auctoribus dici; de quo videri poſſunt Gerſon in Tractatu ſpeciali ſuper hoc edito; Sylvius in 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *quæſito* 7. Dico tamen. In neceſſitate extrema, in qua nulli alii cibi ſuppeterent præter carnes, poſſet Carthuſianus, immo deberet ad ſalvandam vitam carnes edere. Si vero adſint alii cibi, quibus vitam ſuſtentare poſſit, probabile eſt teneri ad abſtinentiam a carnibus, nec poſſe eis etiam ſecreto veſci, etiamſi ægrotet, & immineat vitæ periculum.

Prior pars videtur certa. Quando enim duæ leges inter ſe pugnant, minor debet cedere majori: ſed lex naturalis de conſervanda vita major eſt lege poſitiva de abſtinentia a carnibus; ergo &c. Tum etiam in nullo caſu licet occidere ſeipſum: ſed in caſu, quo non eſſent alii cibi præter carnes, & Carthuſianus non poſſet eis veſci, ſed potius mori fame, licitum ei eſſet, immo teneretur ſe occidere; ergo &c. Tunc enim nullum appareret bonum virtutis, immo abſtinentia illa non eſſet religioſa, ſed ſuperſtitioſa: ſcilicet ſuperſtitioſum foret, ſi quis habens præceptum manendi in ſua domo; in ea manere vellet, quando, ipſa incendio conflagrante, certo eſſet incendio periturus.

Secunda vero pars probari poteſt. Quia periculum vitæ in ægroto ex abſtinentia a carnibus, non eſt adeo certum, & evidens; ut nulla vi ſuperari poſſit aliis cibis, & de facto Carthuſiani, & alii illud ſuperant: & ex alia parte hac obſervantia characteriſticus illius Ordinis rigor obſervatur, qui facile rueret, ſi ægritudinis cauſa liceret eis carnibus veſci. Nam cum Medici faciles ſint in ſuadendo ægrotis uſum carnium; ſi hic liceret Carthuſianis, omnes ex his ægrotantes, carnes comederent: ſicque penitus rueret illius inſtituti diſciplina. Addo: quod Carthuſianis tali abſtinentiæ perpetuo aſſuetis, eſus carnium potius induceret periculum vitæ, quam averteret. Sed de hoc ſatis.

XXV. Quæres ulterius: An abſtinendum ſit ab Idolothytis, ſeu a cibis Idolo immolatis, etiam cum vitæ diſpendio?

Reſpondeo primo: In extrema neceſſitate, quando alioquin eſſet fame moriendum, licere Idolothytis veſci, modo abſit ſcandalum. Ratio eſt: quia Idolothytis veſci, non divina, ſed humana tantum lege vetitum eſt *Actor.* 15. & hæc ab Apoſtolis prudenti quadam œconomia lata: jam pridem abrogata cenſenda eſt. Immo antequam eſſet abrogata per ſe non obligabat cum vitæ diſpendio: nullum enim erat commune bonum, quod ceſſante ſcandalo, aut idololatriæ ſpecie, ad eam obſervandam cum tanto periculo obligaret. Quare

Reſpondeo ſecundo. Quod etiam citra neceſſitatem extremam veſci liceat idolothytis, modo tamquam cibi communes edantur; & nullum ſit periculum, quod infirmi illo exemplo inducantur ad comedendum, aut in honorem Idoli, aut contra conſcientiam, exiſtimantes, carnium immolatarum eſum quamdam immolationis ſpeciem: neque is, qui eis veſcitur, exiſtimetur, falſam Idolorum Religionem, vel quid ſimile profiteri. Unde Apoſtolus 1. *Cor.* 8. *verſ.* 10. & *cap.* 10. *v.* 28. & 29. comedere cibos Idolis immolatos facit ſecundum ſe rem adiaphoram; nec aliter prohibet, niſi cum frater ſcandalum ſit paſſurus, his verbis: *Si quis autem dixerit: Hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illud, qui indicavit*, nempe (ut exponit D. Th. in c. 10. ubi Lect. 6.) *hoc eſſe immolatum Idolis, ne ſcilicet credat, te manducare ſub veneratione Idoli; non quod cibus de ſe ſit immundus.*

XXVI. Hinc idem S. Doctor 1. 2. *q.* 104. *art.* 4. *ad* 3. ait: *Comeſtio autem immolatorum ſimulacris poterat in Judæis aggenerare circa Gentiles ſuſpicionem reditus ad Idololatriam: & ideo iſta fuerunt prohibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles, & Judæos. Procedente autem tempore, ceſſante cauſa, ceſſavit & effectus, manifeſtata Evangelica doctrina veritate, in qua Dominus docet, quod* nihil, quod per os intrat, coinquinat hominem, *ut dicitur Matth.* 15. *& quod* nihil eſt rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, ut 1. *ad Timoth.* 4. *dicitur.*

XXVII. Quod ſi opponatur: S. Auguſtinum *Epiſt.* 154. modo 47. *ad Publicolam*, de viatore, qui victus famis neceſſitate non invenit aliud, niſi cibum in Idolio poſitum, ubi nullus eſt hominum, conſultum: *utrum ei ſatius ſit fame emori, quam illud in alimentum ſumere*, reſpondiſſe: *Aut certum eſt eſſe idolothytum, aut certum eſt non eſſe, aut ignoratur. Si ergo certum eſt eſſe, melius Chriſtiana virtute reſpuitur; ſin autem vel non eſſe ſcitur, vel ignoratur, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo in uſum neceſſitatis aſſumitur.*

XXVIII. Reſpondeo S. Auguſtinum non dicere male facturum Chriſtianum, ſi ſciens eſſe idolothytum, comederet ſed *melius Chriſtiana virtute reſpuit*, ideſt, fore actum heroicæ virtutis, ſi potius velit fame mori, quam illud comedere.

Et hoc